Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Reflexio

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

ius maiorem præmittit Syndere-
sis, dicens: omne malũ est vi-
tandum; Lex verò minorem as-
sumit, dicens: furtum est ma-
lum, quippe iniustum: et tunc cons-
cientia conclusionem infert parti-
cularem: ergo furtum est vitan-
dum. Vnde benè dicitur conscien-
tia, uti iam adnotavimus, conclu-
dens Scientia, seu, quod in idem
redit, cum alio Scientia, eò quòd
conscientia ratione prædictorũ
Synderesis videlicet, ac Legis con-
clusionem inferat particularem.
Et hæc de conscientiæ natura
breviter dicta sufficiant.

Reflexio

Intellexisti modò Amice Lector,
quid nominis, quidqꝫ rei sit cons-
cientia, sed nisi mentem reflec-
tas, ac mores tuos ad eius compo-
nas officia, parùm aut nihil
modò hausta tibi proderit Scien-
tia, imo inter numerum eorum
connumeraberis, de quibus ait
D. Bernardus l. de Conscient:
multi quærunt Scientiam, pau-
ci conscientiam.

Scias itaqꝫ velim, conscientiã
triplex potissimùm sibi ven-

dicare officium. Primum est Ligare; conscientia quippe obligat ad peccatum, quia omne illud, quod fit contra conscientiam quamvis alioquin bonum sit, peccatum est, quô sensu Rom. 14 dicitur: omne quod non est ex fide id est /: ut multi SS: PP: infra adducendi interpretantur :/ quod fit contra conscientiam, peccatum est.

† cap. 3

Secundum est testificari, inquantum nempe conscientia prohibet testimonium de facto preterito, sive bono, sive malo; Veraciter D. Augustinus in psal: 37. † Quando Deus, inquit, judex erit, alius testis, quam tua conscientia non erit; † Unde exiit proverbium. Conscientia mille testes, cuius fundamentum ex sacra scriptura depromptum est, ~~Scriptura~~; nam Rom. 2. dicitur: testimonium illis reddente conscientiâ eorum; subintelligendo de facto preterito aut bono aut malo, quod recognoscunt se fecisse.

† vers. 16

† omnium siquidem delictorum nostrorum ait D. Bernardus de conscient. ipsa est testis, ipsa iudex, ipsa tortor, ipsa carcer.

Tertium Conscientiæ officium est accusare, aut etiam defendere de malo commisso. Et hoc eruitur ex mox citato textu ad Rom 2. ubi Apostolus laudatis verbis; testimonium, nempe illis reddente Conscientiâ eorum statim subiicit, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.

le testes, cuius fundamentū ex sacra depromptum est scriptura; nam Rom. 2. dicitur: testimonium illis reddente conscientia eorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

Hinc S. Gregorius Constantino Mediolanensi Episcopo l. 6. Epist. 14. Sic scribit: In cunctis, quae in hac vita adversa proveniunt, sola est Dei omnipotentis districtio pensanda, atq; ad cor semper proprium recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat, quem enim conscientia defendit, inter accusationes liber est. Proinde ad Secundinum Manichaeū dicebat S. Augustinus: Senti de Augustino, quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

O si adlaboraremus huius Sanctissimi Praesulis insistere vestigiis continuam curā gerentes, ne conscientia nostra nos redarguat malè factorum, quàm secura, quàm tran=

quilla esset vita nostra! Secura quidem; quia ut dicitur 1. Io: 3 Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus a Deo. Tranquilla vero; quia sicut scintilla in magnum deiecta profundum statim extinguitur, sic omnis tristitia superabundantia in bonâ missa conscientiam facile sopitur. Et sicut Ericius in globum convolutus in medio canum impavidus existit, sic conscientia pura in medio adversitatum tranquilla ~~persistit~~ permanet.

Quapropter si animæ nostræ optimè consultum iri volumus, omnem nunc geramus oportet sollicitudinem de causa nostra, id est, de negotio salutis nostræ. Ita enim nos seriò adhortatur D. Augustinus, dum in psal. 37. ait: Inter justum Judicem et conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. Sic nimirum sollicitè ambulemus cum Deo ~~[illegible]~~, ut nos

7 versu 16

tra conscientia grave contra nos testimonium nunquam perhibeat. Jugiter in memoriam redeat, eam nobis esse instar mille testium, quorum momenta nunquam eludere, nec fidem labefactare poterimus. Et quamvis forsan eorum impetum nunc paululū reprimere queamus, at veniet hora /: nisi resipiscamus :/ quā eorum vim ac pondus minimè sustinere valebimus. Nam sicut navis pondus non tam sentitur, dum in aquis trahitur, quam cum in littus deducitur; ita pondus peccatorum, atq; adeo malæ conscientiæ in hora mortis vehementius, quā in reliquo vitæ tempore cor premit ac mentem arrodit.

Caput 2dum.
de Divisione Conscientiæ

Multiplex est conscientiæ divisio; nam 1mo dividitur in veram seu rectam et falsam seu erroneam; Prior est judicium de Bonitate aut malitia operis hic et nunc agendi legi